DE

ANTIQVISSIMA LATINOR. BIBLIORVM EDITIONE CEV PRIMO ARTIS TYPOGRAPHICAE FOETV ET RARIORVM LIBRORVM PHOENICE

AD

EMINENTISSIMVM AC REVERENDISSIMVM

PRINCIPEM DOMINICVM CARDIN. PASSIONEVM

JO. GEORGII SCHELHORNII

DIATRIBE

VLMAE 1760.

APVD JO. FRIDER. GAVM.

10364

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

DOMINICO CARDINALI PASSIONEO

SECRETARIO BREVIVM

ET

BIBLIOTHECAE VATICANAE PRAEFECTO

AMPLISSIMO

MAECENATI LITERARVM AC LITERATORVM

COMMVNI

Jo. Georgius Schelhornius

veram et perennantem felicitatem.

Ad purpuram TVAM venerabundus accedo, CARDINALIS EMINENTISSIME, et pace TVA disquisitionem, quam hæ pagellæ exhibent, literariam TVAE censuræ demissa

 mente

mente ſubjicio. Agit illa de divini Codicis editione omnium principe, quam rariorum librorum phoenicem ſi vocavero, veritatis fines tranſcendere mihi haud videor. Quodſi enim, Celeberrimo *Heumanno* meo judice (a), libri vix in quingenteſima quaque bibliotheca reperiendi, jure librorum phoenices appellari queant, quanto, quæſo, dignior iſthoc elogio eſt Bibliorum editio, quam oculis meis ſubjectam habeo, hactenus plane ignota, et in nulla, quod quidem conſtet, Bibliotheca obvia?

Inſperato nuper caſu ea manus in meas feliciter illapſa eſt, cumque diu jam illi vel conſpiciendæ inhiaſſem avidus, ita me tandem fortuna ſupra votum reſpexit, ut ejus ipſe compos redditus exclamare potuerim, lætitia geſtiens:

Decidit in caſſes præda petita meos!

Vix autem oculis illam contuitus apud animum ſtatui, harum rerum curioſos commentatiuncula quadam gaudii mei reddere participes, illamque EMINENTISSIMO TVÓ NOMINI, ea, qua par eſt, reverentia nuncupare, quam ſerena fronte TE accepturum eſſe, me dubitare non ſinit incredibilis TVA, DOMINE, comitas, qua, in tanto licet dignitatis faſtigio virtute TVA poſitus, me inferioris ſubſellii hominem, ſola excelſæ TVAE indolis bonitate ductus, benigniſſime foves, cujus teſtes ſunt literæ TVAE, ipſo Attico melle dulciores, quas inter ea, quæ cimeliorum loco æſtimo, reponere ſoleo. Et ad quem, ſodes, potiori jure deferenda eſt diſquiſitio de principe Bibliorum Latinorum editione, quam ad Bibliothecarium omnium terrarum orbis Principem, ſupremum nempe incomparabilis Theſauri Vaticani Præfectum, eundemque ſimul digniſſimum Bibliothecæ opulentiſſimæ ac vel Regibus invidendæ Poſſeſſorem, cujus præconem plusquam quinquaginta abhinc annis egit, Græcosque, quibus tum temporis jam ſuperbiit, interim vero innumeris acceſſionibus locupletata, codices in Palæographia ſua Græca, opere æterno, Bernhardus

(a) In Conſpectu Reip. literariæ Cap. V. §. XXXII. p 371.

Bernhardus Montfauconius, grande sui Ordinis decus, recensuit. Scilicet TE, PVRPVRATE REVERENDISSIME, juvenem adhuc et in viridi ævi vernantis flore constitutum, TVAMque masculam eruditionem suspexerunt Viri, quos Reip. literariæ Senatores et Proceres appellitare fas est, id quod exemplo *Gisberti Cuperi*, Viri, dum in vivis esset, illustrissimi, cujus magna quondam fuit non inter amplissimos tantum Fœderati Belgii Ordines, sed inter omnes etiam Musarum cultores auctoritas, comprobare laudatissima TVA modestia patiatur.

Is autem in literis ad *Theodor. Janson Almeloveenium* A. 1708. d. 14. Dec. Daventriæ exaratis, ac nuperrime demum publicæ luci expositis (b) hæc perscripsit: Doleo vehementer, te *Passionem* Comitem non vidisse vel Amstelædami, vel Harderovici. Perspexisses enim summa tua cum voluptate, virum illustrem in penetralia humanioris studii, sive sacri, sive profani, admissum, summo amore castas illas et perpulchras Musas prosequi. Fuit mecum per decem dies, et verbis vix tibi exprimere possum, quam hilares et alacres inter libellos meos, et præcipue manu scriptos, eos transmiserimus. Constituerat te adire, et frui dulcissima tua confabulatione, sed mare clausum, et acerba hiems fecerunt, vt hodie petierit Trajectum ad Rhenum, idque vel ideo, quia iter brevius, et quia, huc a vobis veniens, vna cum curru dejectus fuit ab auriga, cui propterea a me præside dictum est jussu senatus, vt per sex hebdomadas domi sedeat. Caro tibiæ læsa fuit, et vix dum sanata; nec preces vel rationes retinere potuerunt virum insignem, quia propediem constituit trajicere in Britanniam, et antea cum eruditis Trajectensibus colloqui; fidemque mihi fecit, reducem te etiam visurum, ad quod faciendum ipse currenti addo calcaria, quia optime novi, tibi va-

 riarum

(b) a JCto præclaræ et elegantis doctrinæ D. Jo Lud. VHLE in Sylloge epistolarum varii argumenti; bonæ frugis plenissima. Vol. I. p. 334. sqq.

riarum ineditarum dissertationum vel epistolarum esse magnam copiam, et quia ipse dives es insigni penu, et quotidie singulari meo cum gaudio promoves pomoeria eruditæ reipublicæ. Lætor autem, villicam tuam recepisse *Passionæum* nostrum ædibus tuis, et laudat valde illius munditiem et humanitatem, nec non officia, quæ eidem præstiterunt Westenbergius et Houtenus. Quin et ego plurimum me Westenbergio debere confiteor libens lubens, quod, te absente, non deesse voluerit viro illustri, quem procul dubio perspexit esse optimis artibus innutritum, et aliis præclaris virtutibus fulgentem. Idem ad D. *Jo Alb. Fabricium*, Polyhistorem olim Hamburgensem secundissimæ famæ A. 1709. ipsis Nonis Febr. (c) Hoc quo minus exsequi potuerim, fecit præter negotia primo inferisissimum frigus, inde PASSIONEVS Abbas, qui per aliquod tempus mecum et apud me fuit, hancque in urbem se contulit, ut mecum de variis rebus ad eruditionem spectantibus colloqueretur, quem vtique honorem plurimi facio, cum, licet juvenis sit annorum 27. eruditione et variarum rerum cognitione clarus, et in magno cum amicis honore apud Pontificem Romanum habeatur." Immo videtur *Caperus*, tantæ virtutis et doctrinæ admiratione captus, ad omnes, quibus cum commercium ipsi intercessit literarium (d) summi TVI NOMINIS honorificentissime meminisse. Ita enim vir laudatus etiam in epistola ad *Jo. Jac. Scheuchzerum*, Helvetiæ suæ Plinium, A. 1708. d. 21. Nov. scripta, et dudum a me in dias luminis auras prolata (e):

Expecto indies Comitem et Abbatem *Passionæum*; obtuli eidem ædes meas, et spero, admirandi ingenii, et diligentiæ juvenem virum accepturum hanc conditionem, agam cum eo de gazophy-

(c) l. c. p. 466.

(d) E. c. ad Abb. BIGNONIVM et Jo. CLERICVM. vid. *Lettres ecrits à divers Savans de l'Europe par Gisb.* CVPER, quæ Amsterodami A. 1742. in 4. prodierunt,

gazophylacio illuſtris Galli, nec dubitò, quin ectypi, quos ad me miſiſti, eundem magnopere ſint commoturi. Liberalis eſt, et ardet ſummo ſtudio coëmendi in Hollandia libros.

Quot vero quantaque, MAECENAS, interea temporis per tot annorum decurſum, ſummo mentis ardore in literarum tutelam et incrementa intentus, patrocinio, conſiliis et ope ex TVA pariter et Vaticana Bibliotheca præſtita, in eruditam civitatem contuleris beneficia, enumerare longum foret. Grato illa literis ſtrenue operantium repoſta ſunt animo. Vnum, idque pereximium et recentiſſimum, attingere, Virique inſignis doctrinæ ac indefeſſæ diligentiæ laudibus ornatiſſimi *Jo. Dominici Manſi* verbis Germanorum meorum in gratiam exprimere liceat. Occupatus ille in nova et ampliſſima Conciliorum collectione, reliquis omnibus palmam præreptura, cujus ſplendidiſſimi operis Volumen primum his ipſis diebus indulgentia et liberalitate illuſtrium Procerum urbis patriæ in Bibliothecam noſtram publicam feliciter intuli, quantum TIBI, quem ſæculi noſtri decus ac literatorum hominum præſidium jure vocat, jam debeat, debiturusque ſit in poſterum, ita gratus prædicat (f): Vix intellexit me, quem in amore ſemper habuit, ac favore ſingulari proſequutus eſt; huic Operi dirigendo deſtinatum eſſe, datis ſtatim ad me literis Romam accivit, Bibliothecæ Vaticanæ pluteos aperuit, atque omnium inſignium codicum exſcribendi copiam fecit, commendatumque me voluit Vaticanis Cuſtodibus, ut ſe mihi ſedulo præſtarent. Alias etiam ejusdem urbis Bibliothecas ut libere adirem, et quæ mihi opus erant deſcriberem, ea, qua præſtat, auctoritate utilem operam dedit. Neque hæc ſatis, nam et inſignem Bibliothecam ſuam rariſſimis voluminibus tum editis cum manuſcriptis ad miraculum refertiſſimam mihi expandit, ex qua plura hucusque ignota didici, obtinui,

---

runt, p. 215. ſq. p. 219. et 364. ad Ant. item MAGLIABECHIVM. vid. Clar. Belgarum ad eum datas Epiſtolas, Florentiæ A. 1745. in 8. divulgatas. T. I. p. 133.

(e) In Amœnitat. Hiſtoriæ eccleſ. et liter. Tom. II. p. 856.

(f) In præfat. f. XIX.

obtinui, et in rem meam transtuli. Vivat ad Neſtoreos annos Cardinalis literatiſſimus, vivatque ad æterna ſæcula, qui tam egregio operi opem tam grandem tulit!

Cui voto et meum ex animo pro ſalute TVA, et illibata in ſeros annos incolumitate jungo, jungentque, ſcio, omnes, qui literis bene cupiunt. Sed jam ad inſtitutum meum propius accedo.

Ante omnia graphice, quantum potero, noſtra Biblia et ad viuum veluti depicturus, oſtendam primo, quænam cum aliis vetuſtiſſimis editionibus habeant communia, deinde quænam in ipſis deprehendantur vel plane peculiaria, vel cum pauciſſimis conformia. Scilicet frontiſpicio, vel ſingulari potius titulo carent, literarum vocumque compendiis, quæ abbreviaturas vocant, ſcatent, atque adeo lectio minus exercitatis paulum impeditior redditur: diphthongi prorſus exulant, duæ ac tres ſubinde literæ ita ſunt ſibi inuicem junctæ, vt vnum videatur elementum. Primæ librorum capitumque literæ haud ſunt impreſſæ, ſed ab illuminatore variis coloribus appictæ, minio etiam additæ vbivis interpunctiones. Nullæ rubricæ typis excuſæ, ſed minio appictæ: in margine ſuperiori nomina librorum calamo, et minio quidem ſunt adſcripta. Paginarum numeri, ſignaturæ et cuſtodes deſunt. Nominum propriorum literæ initiales, niſi a principio periodorum, haud ſunt cæteris majores, quod ex Gen. X. XI. XXV. XXXVI. XLVI. Joſ. XII. XIII. XXI. Matth. I. Lucæ III. etc. abunde apparet. Præter colon et punctum eaque ſæpius loco minus conuenienti adhibita, ac interrogandi ſignum (g), quod juſtam ſemper ſedem occupare animadverti, aliæ non adſunt diſtinctiones. Sub linearum calcem vbi voces diuidere opus eſt, vocis ita disjunctæ nexus fit per duas lineolas, ſicuti hodie in ſcribendo fieri aſſolet, at hæ quidem lineolæ textum ſupergredientes in ipſo margine ſunt conſpicuæ. Cum vocali *i* loco puncti rotundi in antiquiſſimis editionibus accentus Græcorum acutus imponi ſoleat, in noſtra ſuperior pars circelli dimidiati vicem ejus ubivis obit: id quod,

(g) Idque plane diverſum a noſtro ſcribendi more: figuram enim ⁊c, cui ſubjectum eſt punctum, refert: quod etiam in Primæ Partis Summæ Thomæ Aquinatis,

id quod, cum aliis commune non sit, inter singularia potius, quibus nostra a reliquis discernitur, referendum est. Orthographia sæpe illius ævi ruditatem redolet, cujus rei testimonia præbent *ydropicus, ymnus, olocaustum et ortus*, rejecto h, *nichil, michi, justicia, egyptus, indignacio, tercia, abominacio, contricio, eicio et adicio*, extruso jota pro ejicio et adjicio, *cicius, habitacio, hijs*, pro his et iis, *anfora* pro amphora, *temptare* pro tentare, *Cristus* rel.

Charta instar membranæ densa eximio candore nitet, quod et in aliis vetustis editionibus Moguntinis solemne est. Chartulariorum signa sunt caput bubulum, e cujus fronte surgit lineola superne cruce signata, rosa item, crux circulo vel orbi inclusa, et alia, quæ per typorum crassitudinem et nigrorem satis dignoscere haud licuit. Forma est primæ magnitudinis, ad amussim par Bibliis per Johannem Fustum et Petrum Schoiffer de Gernsheim Moguntiæ A. 1462. impressis. Integrum opus tribus voluminibus absolvitur, quorum secundum periisse, vel in aliquo adhuc angello latitare valde doleo, contentus interim, primum ac tertium internecioni ereptum esse. Integumentum, vt videtur, coævum, fectis e ligno tabulis, pelle porcina involutis, bullisque orichalceis munitis constat. Folio ligaturæ agglutinato inscripta est, cura haud dubie ipsius primi typographi, series librorum, quolibet tomo comprehensorum. Ordo autem librorum Sacrorum primi voluminis hic est: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josua, Judices, Ruth, Libri quatuor Regum.

Tertii Voluminis libri hoc ordine sunt disposiți: Baruch, Hezechiel, Daniel: Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Abbacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias: Machabæorum primus et secundus. Evangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis: Epistolæ Pauli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, Philemonem, Hebræos, Actus Apostolorum:

editiones vetustissimis accensenda, observavit præclari nominis Vir Mart. Geo. CHRISTGAVIVS in egregia Commentat. de Mammotrecto p. 25.

Epiſtolæ Canonicæ, Jacobi, duæ Petri, tres Johannis, Judæ, Apocalypſis.

Nunc ad ea, quæ ſingularia habet iſthæc editio, transgredior. Huc præſertim refero, quod typis grandioribus et craſſioribus, qualibus vetuſta *Miſſalia* imprimi ſolebant (h), excuſa ſit, haud dubie ad normam nonnullorum Codicum MSS. majuſculis literis, (i) nec tamen uncialibus, exaratorum. Ipſemet meas inter reculas ſervo fragmentum ſacri Codicis membranei maximæ formæ, hujusmodi literis, miſſales æmulantibus, ſcripti. Arbitror, vel hac etiam de cauſa artificem minuſculis et ſubtilioribus literis grandiores prætuliſſe, quod hæ, ſi recte rem percipio, illis faciliori labore ligno incidi queant. Et hic quidem præcipuus character eſt, quo noſtra editio ab omnibus aliis evidenter diſtinguitur. Typis enim vere Miſſalibus excuſam eſſe, neminem, qui viderit, in dubium vocaturum, habeo perſuaſiſſimum: nec inter plurimas, quas luſtrare mihi contigit, editiones antiquas vel unicam me unquam conſpexiſſe, ejus generis typis exſcriptam, memini, ſi ipſos libros Miſſales, aliosque, diurnis monachorum officiis, in templo obeundis, deſtinatos, exceperim. Contuli eam quoque cum Miſſalibus et Pſalteriis vetuſtis, præſertim in celebris Carthuſiæ Buxienſis, vix horulæ ſpatio ab urbe noſtra diſtantis, Bibliotheca, antiquis editionibus inſtructiſſima, beneficio Reverendiſſimi et Ampliſſimi D. P. Prioris *Hieronymi Krafft de Dellmenſingen*, Senis venerabilis et humaniſſimi, e quibus ὡς ἐν παροδῷ ſequentia, ob raritatem ſuam ad annales typographicos ſupplendos commemorare juvat.

I.

Pſalterium cum aliis canticis biblicis, ſymbolis ac hymnis veteribus, impreſſum Lipſiæ per Marcum Brandis typis miſſalibus, iisque æneis A. 1485. in vigilia Petri et Pauli Apoſtolorum. in fol. Ignota fuit

(h) Recentiora enim; e. c. Campidonenſia, eaque ſatis nitida, typis quidem ſolito majoribus, ſed non adeo craſſis exſcripta ſunt.

(i) vid. Jac. le LONG. Bibliothec. S. Tom. I. f 240. ſq.

fuit hæc editio non Michaeli tantum *Maittaire*, ſed diligentiſſimo etiam Jo. Henrico *Leichio* (k). Vterque vero aliam Pſalterii editionem, quæ ex officina Conradi Kacheloven eodem anno Lipſiæ prodiit, recenſuit.

II.

Miſſale ſecundum Ordinem Carthuſienſium, impreſſum in Monaſterio Carthuſiæ Ferrariæ, ac diligenter emendatum per Monachos ejusdem Domus, regnante excellentiſſimo D. D. Duce Hercule Eſtenſi A. 1503. d. 10. Apr. in fol. Frontiſpicium ornat figura Chriſtophori, quem vocant, magni, Jeſulum per flumen bajulantis, illuminata.

III.

Pſalterium chorale ſecundum morem et conſuetudinem S. Romanæ Eccleſiæ, cum hymnis, antiphonis et verſiculis: annexisque vigiliis mortuorum. Vna cum directorio Pſalmorum. Impreſſit Joannes Bryſe civis Argentinenſis A. quingenteſimo nono (omiſſo ſcilicet milleharil numero) in fol.

IV.

Miſſale ſecundum Ordinem Carthuſienſium impreſſum Lugduni per magiſtrum Symonem Bevelaqua, virum honeſtum, librorum impreſſorem in Carthuſia majori ab originalibus et antiquioribus libris, per venerabilem Patrem D. Johannem Binchois, religioſum monachum dictæ Domus profeſſum ac Capituli generalis dicti Ordinis ſcribam, correctum et emendatum A. 1517. d. q. menſis Maji in fol. In titulo conſpicitur imago Brunonis, primi Ordinis Carthuſienſium ſtatoris, illuminata, et aureis lineis incluſa, nec non Privilegium Franciſci, Prioris Domus majoris Carthuſiæ Symoni Bevilaqua Papienſi, impreſſori librorum tunc Lugduni commoranti, A. 1516. d. 16. Nov. conceſſum, cui Joannes Binchois, ordini a ſecretis, ſubſcripſit.

Alteram notam, qua ab aliis, ſi pauciſſimas, easque albo corvo rariores, excepero, editionibus noſtra diſtinguitur, depre-

 hendere

(k) In Libro de Origine et incrementis Typographiæ Lipſienſis p. 63. ubi Annales Typographiæ Lipſienſis initium ſumunt.

hendere licet in typis ligneis, iisque mobilibus, quibus excuſa ſunt hæc Biblia. Primo id aſpectu agnovit typographus noſter, in arte ſua probe verſatus, ac deinde etiam poſt ſedulam contemplationem confirmavit. Et profecto typis non fuſilibus, ſed ſculptis exſcripta eſſe noſtra Biblia, res ipſa clamat, idque ita perſpicuum eſt, ut judicare oculis poſſimus. Quod ſi enim typis æneis, ex una matrice fuſis, quod poſthac arte, ſagaci ſolertia Petri Schoiffer de Gernsheim, perfecta fieri conſuevit, impreſſa eſſent, una eademque litera ſibi ſemper in toto opere a capite ad calcem omni ex parte ſimillima foret, utpote ex una matrice prognata. In noſtro autem opere nulla plane litera, licet ſæpius in una pagina recurrens, ſi eas intentis contempleris oculis, ſibi ſatis et penitus eſt æqualis, ſed aliquod ſaltem diſcrimen appareret. Jam in eo ferè conſpirant præſtantiſſimi de typographiæ originibus ſcriptores (l), divinam artem per hos veluti gradus a primis crepundiis pedetentim ad maturitatem ſuam ac maſculum robur progreſſam eſſe, ut initio per figuras et literas, tabulis ligneis inciſas et immobiles, tentata fuerit, deinde typi mobiles, iique primum lignei, tandem vero Petro Schoiffero auctore, ænei ex matrice fuſi ſint uſurpati. Facile quisque videt, ſi Joannes Guttenbergius, cui inventæ artis typographicæ gloriam ſolidis argumentis poſt alios vindicavit Jo. Dav. *Koehlerus* (m), ejusque ſocii, Jo. Fauſtus, et Petrus Schoiffer in principiis tantum ſubſtitiſſent, et ultra tabulas ligneas progreſſi haud eſſent, iſtoc pacto literis non adeo bene futurum fuiſſe conſultum. Quam lento enim et teſtudineo veluti gradu res proceſſiſſet? Quot operariis, quæſo, opus fuiſſet? Quantos ſumtus efflagitaſſent opera majora

(l) Melchior ADAMI in Vitis primorum typographorum, quibus auſpicatur Vitas German. Philoſ. p. 2. Henr. SALMVTH in Comment ad PANCIROLLI Res memorab. deperditas ac recens inventas, Lib. II. Tit. XII. p. 312. Bern. a MALLINKROT Diſſ. hiſt. de ortu ac progreſſu artis typogr. Cap. XI. p. 80. Andr. CHEVILLIER *De l'Origine de l'Imprimerie de Paris*, p. 4. Mich. MAITTAIRE in Annal. typogr. T. I. edit. Hag. A. 1719. p. 32. MARCHAND *Hiſtoire de l'Imprimerie*. Part. I. p. 18. Chr. Gottl. SCHWARZ in Indice novo Librorum ſub incunabula

majora et pluribus voluminibus comprehenſa? Ut ipſi fortaſſis Codices manu exarati pari, vel minori etiam pretio comparari potuiſſent. Amplæ haud ſuffeciſſent domus ſervandis illis tabulis, nulli præterea uſui futuris, niſi ad iteratas editiones adornandas.

Satis copioſe olim deſcripſi duos libros, inter illuſtrium bibliothecarum cimelia referendos, typisque ligneis, haud mobilibus et ſejunctis, ſed in tabulis ſculptis ac inciſis excuſos, et alterius primam paginam ſpeciminis loco ſimiliter e ligno ſculpto expreſſam evulgavi (n). Hujusmodi libros potius ſculpturæ fœtus et artis excuſoriæ præludia, quam veræ typographiæ partus fuiſſe, virorum perſpicaciſſimorum (o) eſt ſententia. Hac vero occaſione in tranſitu non nihil mihi differere liceat de alio libro rariſſimo in bibliotheca noſtra publica ſervato, ac pariter tabulis ligneis; ſive textum, ſive figuras ſpectes, impreſſo, quem viri quidam ſummi itidem inter typographiæ prodromos referunt, cujusque non totidem, quantum quidem conſtat, ſuperſunt exemplaria, quot ſunt

Thebarum portæ, quot divitis oſtia Nili.

Opuſculum eſt chiromanticum, Germanice ſcriptum, vel potius in eum ſermonem translatum a D. *Jo. Hartliebio*, Archiatro quondam Alberti III. Ducis Bavariæ, cognomento Probi, cui quam charus fuerit, ex iis, quæ *Jo. Adlzreiterus* de ipſo memoriæ prodidit (p), eluceſcit. Hunc autem gerit libellus titulum. *Das nach geſchrieben Buch von der Hannd hatt zu teutſch gemacht Doctor hartlieb durch bett und heiſung der durchleichtigen hochgebornen Fürſtin frowanna geboren von praunſchweigg gemachel dem tugentreichen hochge-*

cunabula typographiæ impreſſorum. p. 21. ſq. J.D.KOEHLERVS in libro mox citando p. 19 ſq.

(m) *In der Ehren-Rettung Johann Guttenbergs wegen der erſten Erfindung der Buchdrucker Kunſt*. ſive in Vindiciis Jo. Guttenbergii, ceu primi artis typographicæ inventoris, Lipſ. A. 1741. in 4. editis.

(n) Amoenitat. literar. Tom. I. p. 1. ſqq. et Tom. IV. p. 293. ſqq.

(o) CHEVILLIER l. c. p. 6. 20. 23. Proſp. MARCH. l. c. p. 15. C.G.SCHWARZ l. c.

(p) In Annalibus Boicæ Gentis Part. II. Libr. VIII. f. 170.

hochgeloptcn furſten, herzog Albrech herzog zu bairen und graff zu voburg - : das iſt geſchehen am fritag nach xeptionis mariæ virginis glorioſis. 1448. i. e. Hunc, qui ſequitur, librum de manu (vel chiromarticum) Germanice fecit (ſive reddidit) Doctor Hartliebius rogatu et juſſu Sereniſſimæ Principis, Dominæ Annæ, natæ Ducis Brunsvicenſis, conjugis Sereniſſimi Principis Alberti, Ducis Bavariæ et Comitis Voburg. Hoc factum eſt die Veneris poſt Concept. Mariæ Virginis glorioſiſſimæ A. 1448. in fol. min.

Titulum excipit in eadem pagina, duabus lineis interpoſitis, breve prooemium, cui ſubjecta eſt figura, non quidem admodum elegans, ſed nec ita rudis, ac illæ ſunt, quarum ſpecimen l. c. exhibui. Figura hæc delineatum ſiſtit *Hartliebium*, libri interpretem, Annæ, Alberti conjugi, in ſolio ſedenti, librum apertum genu flexo offerentem. Conſtat paginis ſeptem ſupra quadraginta, totidemque etiam ligneis tabulis. Eſt enim opiſthographus; ſiquidem utrique folii paginæ figuræ ſunt impreſſæ, quod jam ætatis aliquantulum recentioris indicium eſt, cum in primis et indubitatis artis typographicæ præludiis una tantum folii facies typis vel figuris ornata ſit, ob atramentum vero perfluens, quippe non tam oleo, quam aqua tinctum, ad deformitatem vitandam, binæ ſemper paginæ glutino commiſſæ cohæreſcant. Hic autem jam adhibitum fuit atramentum oleoſum. Omnes paginæ præter primam et ſecundam ſiſtunt manus, diverſis lineis diſtinctas, quibus ſemper adiecta de illarum linearum ominibus notamina. Maximam vero ſecundæ paginæ partem occupat textus, poſtiſſimum, quid varians lineæ vitalis ratio portendat, exponens, cui ſubjacet figura, craſſo modo repræſentans decem homines, fata, diverſa lineæ vitalis ratione ſignificata, jam expertos, Deumque orbiculos varie ſignatos de

(q) In Epiſtola ad Anonymum contra Auctorem Relationis de Itinere ſuo Anglicano et Batavo, p. 70.

(r) In Menſtruis Excerptis ex Novis Libris, Germanice editis, A. 1700. menſ. Apr. p. 122. Imo ipſe Vir Summus Godofr. Guilielmus LEIBNITIVS, teſte optimo VFFENBACHIO, in Libro mox allegando p. 418.

de cœlo effundentem. Facile hinc apparet, opellam eſſe futilem, haud argumenti præſtantia, ſed ſola raritate commendabilem.

Duo hujusce libri exemplaria in Bibliotheca Auguſta Guelpherbytana ſuperſunt, quorum in uno ſub finem in extrema paginæ ora legitur artificis nomen: *Frog Scapff zu Augſpurg*; quod in noſtro fruſtra quæſivi. Hinc Vir illuſtris, qui ſub *Jani Gregorii Betulii* perſona latere voluit, id commemorans (q), opuſculum hoc Auguſtæ Vindelicorum A. 1448. eſſe excuſum cenſuit: cui pollicem preſſere excellentis doctrinæ Viri, *Jo. Georgius Eccardus* (r) et *Chriſtianus Gottl. Schwarzius* (s). Ego vero criteriis ſupra adductis permotus cum *Zach. Conrado ab Uffenbach*, Mæcenate quondam meo, immortali memoria digniſſimo (t) tantam quidem illi ætatem tribuendam haud eſſe arbitror, annum 1448. tempus, quo in vernaculum ſermonem ab *Hartliebio* converſus, non quo tabulis ligneis excuſus fuit, innui perſuaſus: *Joanni* autem *Henr. Leichio*, Viro, dum vitali frueretur aura, mihi amiciſſimo, opuſculum hoc a ſæculi XVI. initio proxime abeſſe aſſerenti (u) calculum adjicere nequeo.

Si conjecturæ locus ſit, mihi diſtinguendum videtur inter prima artis typographicæ præludia, ac inter poſteriora: illa fuere maxime rudia, hæc, ut dies diem docet, ſenſim ſenſimque cultiora evadebant. In primis tentaminibus utebantur atramento, oleo nondum tincto, ſed aqua tantum diluto, quod cum perflueret, ad deformitatem vitandam duo folia conglutinanda erant. Deinde cum excogitatum eſſet atramentum oleoſum, tenacius et glutinoſius, utraque folii facies typis figurisque ornari poterat, quod in noſtro libello factum eſt, in quo atramentum

(s) l. c. p. 18.

(t) In Deſcriptione Itineris ſui per inferiorem Saxoniam, Belgium et Angliam, me curante Germanice A. 1753. evulgata, Tom. I. p. 310. ſqq.

(u) In Libro ſingulari de Origine et Incrementis Typographiæ Lipſienſis, p. 121.

mentum haud pallidum ac transfluens, ſed tenax et admodum nigrum fuit adhibitum. Cætera vero omnia ruditatem ſpirant, ac ita ſunt comparata, ut primo aſpectu ſcripturam hominis Germani te cernere exiſtimes. Sed jam ex hoc diverticulo in viam redeundum ac demonſtrandum nobis eſt, Biblia noſtra primum eſſe artis typographicæ foetum. Prodeant itaque ante omnia teſtes idonei et coævi, e quorum dictis id, quod probandum venit, deinde adſtruam. Primus eſt auctor Chronici antiqui Colonienſis, cujus verba e vernaculo ſermone ita Latine reddidit *M. Z. Boxhornius* (x): Ars Typographica, ſumme æſtimanda, inventa omnium primum in Germaniæ Vrbe Moguntia eſt, ad Rhenum, circa Annum Domini noſtri MCCCCXL et, ab eo anno, donec ſcriberetur MCCCCL, inventioni ejus, eorumque, quæ ad illam pertinent, opera impenſa fuit. Eoque anno, qui Jubilæus fuit, cœptum fuit libros imprimere, primusque, qui excuderetur, liber *Biblia* fuere *Latina*, impreſſaque ea ſunt ſcriptura grandiori, quali hodie *Miſſalia* ſolent imprimi. Quamvis autem, vt præmittitur, Moguntiæ ars hæc inventa fuerit eo modo, qui nunc temporis communiter vſurpatur, prima tamen ejus præfiguratio (ſeu ſimulachrum) ex Donatis Hollandiæ reperta et deſumta fuit, qui ibi ante id tempus excuſi fuerant; eque illis principium prædictæ artis depromptum eſt. At poſterior hæc inventio priori, quoad artificium et ſubtilitatem longe præſtantior fuit, indiesque ad majorem excellentiam perducitur. Author quidam Omnibonus dictus, ſcribit in præfatione Quintiliano præfixa, ac præterea in aliis libris ſuis, Gallum aliquem, nomine Nicolaum Genſon, omnium primo inſigne hoc artificium reperiſſe. Sed is in illo manifeſti erroris convincitur. Adhuc enim in vivis ſuperſunt, qui teſtari poſſunt, iam tunc Venetiis libros impreſſos fuiſſe, priusquam Nicolaus Genſon eo delatus eſſet, ibique typos effingere et præparare cœpiſſet. Sed primus typographiæ inventor civis

(x) In Hiſtoria Vniverſali p. 950. edit. Francof. An. 1675.

civis fuit Moguntinus, Argentina oriundus, cui nomen erat Joannes Gutenberg. Moguntia autem dicta ars primo Coloniam delata eſt, poſt Argentinam, ac deinceps Venetias. Initium ac progreſſum ſæpius memorati artificii ex honorabilis Magiſtri Viricii Zel, Hanovienſis, narrantis ore cognovi, qui etiam nunc hoc MCCCCXCIX. anno Coloniæ typographum agit, eoque authore ars hæc Coloniam propagata eſt. Reperiuntur ſcioli aliquot, qui dicant, dudum ante hæc tempora typorum opera libros excuſos eſſe, qui tamen et ſe, et alios decipiunt. Nullibi enim terrarum libri eo tempore excuſi reperiuntur. Præterea plurimi libri veteres interciderunt, eo quod magno numero deſcribi non poſſent. Exempli cauſa, maxima pars operum Titi Livii, libri Ciceronis de republica, et libri hiſtoriarum Plinii de bellis Romanorum cum Germanis.

Huic jungo Abbatem ſuæ ætatis doctiſſimum, et primum rei literariæ in noſtra Germania ſtatorem, *Jo. Trithemium*, ita in Annalibus Hirſaugienſibus (y) ad A. 1450. perorantem: His temporibus, in civitate Moguntina Germaniæ prope Rhenum, et non in Italia, vt quidam falſo ſcripſerant, inventa et excogitata eſt ars illa mirabilis et prius inaudita imprimendi et characterizandi libros, per Joannem Gutteuberger, civem Moguntinum: qui, cum omnem pene ſubſtantiam ſuam pro inventione hujus artis expoſuiſſet, et nimia difficultate laborans, jam in iſto, iam in alio, deficeret; jamque prope eſſet, vt deſperatus negotium intermitteret; conſilio tandem et impenſis Joannis Fuſt, æque civis Moguntini, rem perfecit inceptam. Inprimis igitur characteribus literarum in tabulis ligneis per ordinem ſcriptis, formisque compoſitis, Vocabularium *Catholicon* nuncupatum, impreſſerunt; ſed cum iisdem formis nihil aliud potuerunt imprimere, eo quod characteres non fuerunt amovibiles de tabulis, ſed inſculpti, ſicut diximus. Poſthæc inventis ſuc-

(y) In Monaſterio San-Gallenſi A. 1690. in fol. divulgatis. Tom. II. p. 421.

cesserunt subtiliora, inveneruntque modum fundendi formas omnium Latini Alphabeti literarum, quas ipsi matrices nominabant, ex quibus rursum æneos sive stanneos characteres fundebant ad omnem pressuram sufficientes, quos prius manibus sculpebant. Et revera, sicuti ante triginta ferme annos ex ore Petri Opilionis de Gernsheim civis Moguntini, qui gener erat primi artis inventoris, audivi, magnam a primo inventionis suæ hæc ars impressoria habuit difficultatem. Impressuri namque Bibliam, priusquam tertium complessent in opere quaternionem, plusquam 4000. Florenorum exposuerunt. Petrus autem memoratus Opilio, tunc famulus, postea gener, sicut diximus, inventoris primi Joannis Fust, homo ingeniosus et prudens, faciliorem modum fundendi characteres excogitavit, et artem, vt nunc est, complevit. Et hi tres imprimendi modum aliquamdiu tenuerunt occultum, quo vsque per famulos, sine quorum ministerio artem ipsam exercere non poterant, divulgatus fuit in Argentinenses primo, et paulatim in omnes nationes.

Chrono-

(*) De hoc exemplari singularis legitur commentatio Abbatis SALLIER in *Histoire de l'Academie Royale des Inscriptions et des Belles Lettres* Vol. XIV. p. 238. sqq. Sed conferri etiam merentur eruditæ in eam animadversiones Clar. CLEMENTIS in *Bibliotheque curieuse* Tom. IV. p. 64. sqq.

(z) vid. Rerolinensis Bibliothecæ Germanico sermone, A. 1747. edi coeptæ, in qua varia recens evulgata scripta recensentur, Vol. I. p. 269. sqq.

(a) conf. Catalog. Bibliothecæ Bunavianæ, Tom. I. Vol. I. p. 13. quem præstantissimum Catalogum, ceu donum splendidissimum, me ipsius Celsissimi Comitis BVNAVII singulari munificentiæ acceptum referre, gratus sum professus in Select. Commercii epistolaris Uffenbach. Part I. p. 49.

(b) vid SCHWARZII Primaria quædam Documenta de origine typographiæ, Part. II. p. 4. quod exemplar literis majoribus, quas Missales vocant, impressum esse Vir doctissimus quidem asserit; sed cum illud ita describat, ut uno tantum volumine integra Biblia comprehendi videantur, de eo valde dubito.

(c) teste Mich. MAITTAIRE in Annalium typogr. Tom. V. Indicem complectente, Part. I. p. 136.

(d) vid. Bibliothecæ Uffenbach. Universal. Tom. I. p. 1.

(e) vid. Biblioth. Berol. Vol. II. p. 410. sqq. et CLEMENT *Biblioth. curieuse* Tom. IV. p. 77.

Chronographus Colonienſis librum omnium primum typis excuſum fuiſſe Biblia Latina diſertis verbis affirmat, eisdemque notam characteriſticam, qua facile a quibuscunque aliis diſtingui poſſunt, addit, typis videlicet, quibus *Miſſalia* imprimi ſolent, illa eſſe exſcripta commemorans, quod exacte in noſtram, ac præterea in nullam aliam editionem quadrat. Probe novi, haud deeſſe Biblia Latina, cæteris fere omnibus antiquitatis notis ſuperbientia, atque adeo inter vetuſtiſſimas et rariſſimas editiones jure referenda, ſed cum hac una nota deſtituantur, prima dici non poſſunt. Hujusmodi divini Codicis exemplaria fuerunt, et hodie bonam partem adhuc habentur in Bibliothecis Regiis, Pariſienſi (*), Berolinenſi (z) et Bunaviana (a), Carthuſiæ Moguntinæ extra mœnia civitatis ſitæ, (b) Comitis Oxonienſis, (c) Uffenbachiana, (d) Luneburgenſi, (e) Jenenſi, (f) Vogtiana, (g) Craſſieriana, (h) Schwarziana (i), ac fortaſſe pluribus aliis (k). Sed harum editionum nulla typis, quibus Miſſales libros imprimere olim ſolemne fuit, ſuperbit. Inſuper omnes laudatæ editiones partim unc tantum, partim duobus volumi-

(f) vid. MYLII Memorabilia Bibliothecæ Jenenſ. p. 156.

(g) vid. Cel. VOGTII Catalogum Criticum librorum rariorum, p. 117.

(h) teſte Theophilo Sincero in Nova Collectione librorum vett. et rariorum Germanice edita, Part. I. p 14.

(i) vid. C G. SCHWARZII Indicem novum Librorum ſub typographiæ incunabula impreſſorum, p. 28. et Primaria quædam Documenta de Origine Typographiæ, Part. II. p. 5.

(k) Tobias ECKHARDVS in recenſione Codicum MSS. Quedlinburgenſium, An. 1723. publicæ luci expoſita, p. 55. refert, in templo D. Benedicti Quedlinburgi ſervari Biblia Latina, quibus addita ſit Menardi compendioſa librorum biblicorum notitia, Jacobo de Jſenaco inſcripta: impreſſa autem eſſe A. 1457. ſine mentione loci, adeoque inter incunabula typographiæ. Accuratiori hoc examine dignum eſſe cum Celeb. Jo. Ludolpho BüNEMANNO in Notitia Scriptorum, editorum atque ineditorum, artem typographicam illuſtrantium p. 20. cenſeo. Numerus vero anni 1457. forſitan manu tantum et ex conjectura adſcriptus eſt. Coronidis loco hic annecto, in noſtra quoque Bibliotheca publica aſſervari editionem Bibliorum Latinorum charactere Romano ſine anni, loci et typographi indicio, in primæ magnitudinis forma, impreſſam, et quibusvis vetuſtatis characteribus inſignitam. Ita quidem uno duntaxat volumine, ſed adeo, ob chartæ etiam denſitatem,

nibus constant: nostra autem tria eaque valde spissa implet, quod per typorum granditatem et crassitudinem aliter fieri non potuit.

Diligenter contuli hanc nostram editionem cum altera Moguntina, quæ A. 1462. ex officina Jo. Fausti et Petri Schoiffer de Gernsheim prodiit. Hujus Tomus I. foliis 244. Tomus autem II. foliis 239. absolvitur: quælibet paginarum columna lineis 48. constat. Nostræ autem editionis volumen I. folia 266. Volumen III. folia 297. complectitur; secundum vero mihi deesse supra jam dolens retuli. Nec reticendum est, singulas paginarum columnas 36. duntaxat lineas continere, quæ satis superque de grandiori et missali typorum forma testantur, cum charta tamen ejusdem plane sit magnitudinis. In transcursu hic moneo, ultima verba folii ultimi Partis I. editionis Moguntinæ A. 1462.

Explicit Psalterium.

Anno M. (interjectis insignibus, Fausti et Schoifferi,) CCCCLXII.

a *Schwarzio* (I), annotata, qui duo vidit exemplaria, unum membranaceum in Bibliotheca publica Reip. Francof. ad Moenum, alterum chartaceum Herbipoli apud *Jo Seyfridum*, Soc. Jes. in Buxiensi exemplari haud comparere: subscriptionem vero Partis II. quæ in exemplari Francof. hæc est:

Pñs hoc opusculũ, Artificiosa adinvẽtione impmendi seu caracterizandi. absque calãmi exaracõn. in ciuitate Moguntñ. sic effigiatũ et ad eusebiam dei industrie per Johe3 Fust ciuẽ et Petrũ Schoiffher de gernsheym clericũ dioteſs eiusdem est consũmatu3. Anno dñi. M. CCCC. LXII. In vigilia assumcois virg. marie. itidem

tatem, spisso comprehensa est, ut concinne possit in duo disjungi, quorum prius Psalterio finiendum constaret foliis 212. alterum, a Proverbiis Salomonis inchoandum, totidem absolveretur. Chartulariorum signa sunt rosæ illæ, quas SCHWARZIVS in tabula sua, Documentis de origine typographiæ, Parti III. ad p. 41. inserta, Num. 13. 14. et 15. insignivit, nec non Uva Num. 18. conspicua. Silendum

itidem nonnihil variare in exemplari Buxienſi, in quo pro *Artificioſa adinvẽtione* legitur Artificõſa adinventione, pro *Moguntĩ.* Maguntĩ. poſt *effigiatũ* exſtat punctum, pro *conſumatu3.* habetur conſummatum ſine puncto, pro *aſſumcois* aſſumpcois, pro *Johe3 Fuſt* et *Petrum Schoiffher* iohe3 fuſt et Petrum ſchoiffher: ut, quod tamen probabile non eſt, operis tam vaſti diverſæ editiones uno eodemque anno ex una eademque officina prodiiſſe videantur, præſertim cum *Maittaire* in nova editione Tom. I. Annalium typograph. p. 272. inſuper ſubſcriptionem horum Bibliorum ab utraque diverſam attulerit. Vero autem eſt ſimilius, ultimum tantum folium variis ex cauſis varie recuſum fuiſſe (m). Antequam ab hac editione recedam, unum adhuc moneo. Ven. *Vogtius* l. c. p. 118. de pervetuſta, quam ibi deſcribit, editione monet, Jeſ. XXXVII. 29. mendoſe legi: *Ponam circulum in Avibus tuis.* In editione autem Moguntina A. 1462. itidem perperam impreſſum eſt: *Ponam circulum in Auribus tuis*, pro *Naribus.*

Nunc ad *Trithemium* accedo. Is equidem Vocabularium, quod *Catholicon* nuncupatur, Bibliis præmittit, ſed rationem, qua illud excuſum fuit, ita deſcribit, ut inter ſculpturæ potius foetus ac artis excuſoriæ præludia, quam veros typographiæ partus referendum ſit. Non ſolus ego ita judico, ſed eandem mecum ſententiam præter alios de hoc opere fovit Vir harum rerum ſcientiſſimus, Andreas *Chevillier*, ſcribens (n): *Le Vocabulaire n'avoit été imprimé que par des tables de bois, dont les lettres avoient été taillées à la main, ſelon la maniere dont on grave aujourd'huy les planches pour tirer des Eſtampes.* Et paucis interjectis: *Pour m'expliquer nettement, je ne donne aucun rang à ce*

dum autem haud eſt, capitum numeros typis exſcriptos, et vocali *i* punctum rotundum impoſitum eſſe.

(l) in laudatis Documentis. Part. II. p. 14.

(m) vid. Cel. Dav. CLEMENT. *Bibliotheque Curieuſe, Hiſtorique et Critique.* Tom. I. p. 84.

(n) l. c. p. 6.

Vocabulaire, parce qu'il n'étoit point l'ouvrage d'une veritable Imprimerie: c'étoit une production de l'art de gravûre et de ſculpture, qui n'eſt pas, comme tout le monde ſçait, une invention nouvelle, puiſqu'on voit des lettres, des mots, des diſcours, taillez et gravez de toute antiquité, ſur le marbre, et ſur des corps beaucoup plus durs et plus difficiles à tailler que le le bois. Ac deinde (o): *L'Imprimerie n'étant point encore inventée, quand ce Dictionnaire parut, qui n'étoit qu'un pur effet de ſculpture et de gravûre.* Hæc autem ſunt **Trithemii** verba: *In primis characteribus literarum in tabulis ligneis per ordinem ſcriptis, formisque compoſitis, Vocabularium* **Catholicon** *nuncupatum, impreſſerunt; ſed cum iisdem formis nihil aliud potuerunt imprimere, eo quod characteres non fuerunt amovibiles de tabulis, ſed inſculpti, ſicut diximus.* Mirum verò, tantum fuiſſe auſum bonum Guttenbergium, ut inter prima artis ſuæ tentamina tam vaſtum opus talibus ligno inciſis excudendum ſuſciperet, rem ſane hoc pacto aggreſſus viribus ſuis majorem. Nec illud ad finem perductum eſſe, credibile eſt. Quantum enim, bone Deus! temporis, quam immenſos ſumtus, quot operarios illius grandis Dictionarii et Grammaticæ inciſio in tabulas ligneas poſtulaſſet? Videtur ergo ab hoc inſtituto tandem abſtinuiſſe, et, quæ jam perfecerat, inter ſegeſtria, dein et chartas emporeticas rejecta fuiſſe. Hinc nullum prorſus illius editionis ſupereſt exemplar, imo ne fragmentum quidem eamque propterea *Non Ens* haud inepte vocavit **Koehlerus** (p). Nec adeo mirandum eſt, tantis ſumtibus in iſthæc et alia, quæ per duo circiter luſtra præceſſerant, experimenta profuſis, loculos tandem Guttenbergii exhauſtos, virumque optimum ære alieno tantum non

(o) p. 9.

(p) L. c. p. 95. Lectu digniſſima eſt epiſtola Bibliothecarii literatiſſimi Reip. Genevenſis de quadam pervetuſta et hactenus incognita hujus Lexici editione, quæ exſtat in Celeb. Samuelis FORMEY *Nouvelle Bibliotheque Germanique* Tom. IX. Part. I. p. 89. ſqq Vir ille doctiſſimus noſtram, de qua loquimur, editionem unquam in lucem prodiiſſe p. 93. pariter dubitat. Tres etiam alias epiſtolas de hoc Dictionario in laudati illius Diarii T. IX. Part. II. p. 378. et p. 393. ac T. X. Parte II. p. 450. publicatas legiſſe, neminem, ſcio, rei literariæ curioſum poenitebit.

non fuiſſe oppreſſum. Imo plane ipſi inter illa jam tentamina ſuccumbendum, ac integrum perficiendæ artis typographicæ inſtitutum abjiciendum fuiſſet, niſi Jo. Fauſtus, vir opulentus, ſocias ei manus præbuiſſet, ac pecunia foenori data ſuppetias tuliſſet: qui vero deinceps aliquot poſt annos nummos ſuos cum foenore repetens, Guttenbergio litem intendit: ac omnem demum apparatum typographicum, pignori ipſi pro ſubminiſtrata pecunia oppoſitum, ad ſe rapuit, quod copioſe demonſtravit præſtantiſſimus *Koehlerus* (q). Sed tranſeant hæc odioſa. Nos ad telam potius noſtram pertexendam revertimur.

Trithemium, teſtimonio Chronographi Colonienſis, primum typographiæ recens inventæ partum fuiſſe Biblia Latina, narrantis, haud refragari, ſed eidem potius ſubſcribere, penes me quidem extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Ita enim depingit rationem, qua *Catholicon* illud excudi coeptum eſt, ut magis inter præludia, quam veros artis excuſoriæ foetus, referendum ſit: deinde autem perſpicue ſatis tradit, primum librum typis mobilibus excuſum poſt illa ſumtuoſa et moleſta tentamina fuiſſe ſacra Biblia. Agedum, repetamus et paululum illuſtremus ejus verba: *Poſthæc inventis ſucceſſerunt ſubtiliora, inveneruntque modum fundendi formas omnium Latini Alphabeti literarum, quas ipſi matrices nominabant, ex quibus rurſum æneos ſive ſtanneos characteres fundebant, ad omnem preſſuram ſufficientes, quos prius manibus ſculpebant. Et revera ſicuti ante XXX. ferme annos ex ore Petri Opilionis de Gernsheim, civis Moguntini, qui gener erat primi artis inventoris, audivi, magnam a prima inventionis ſuæ hæc ars impreſſoria habuit difficultatem. Impreſſuri namque Bibliam, priusquam tertium*

(q) in vindiciis Guttenbergii p. 21. ſqq. ubi ipſum etiam Inſtrumentum publicum ſententiæ judiciariæ inter Jacobum et Joannem Fauſtos ex una parte, et Joannem Guttenbergium ex altera parte, de pecunia in librorum impreſſionem inſumta A. 1455 d. 6 Nov. latæ exhibuit, notisque illuſtravit, quod inſtrumentum condiderat Vlricus quidam Helmaſpenger, Clericus Dioeceſeos Bambergenſis, et Notarius publicus Cæſareus ac Pontificius. Idem doctiſſimus quoque SCHWARZIVS parti I. Documentorum de Origine typographiæ p. 0. ſqq. cum annotationibus inſeruit.

tium complessent in opere quaternionem, plusquam 4000. *florenorum exposuerunt.* Quis hic non videt, primum locum inter libros, haud tabulis ligno incisis, sed typis singularibus excusos divino Codici tribui? Licet vero typorum ligneorum mobilium, sive ex ligno sigillatim sculptotum, quibus primum usus fuit Guttenbergius, disertis verbis non meminerit, eos tamen non excludit. Narrans enim, inventum tandem fuisse modum fundendi formas omnium Latini Alphabeti literarum, matrices nominatas, ex quibus rursum ænei sive stannei characteres fusi sint, ad omnem pressuram sufficientes, adjicit, *quos* (nempe characteres) *prius manibus sculpebant:* innuens scilicet his postremis verbis, ante matrices, solertia Petri Opilionis sive Schefferi tandem inventas, characteres *prius* manibus fuisse sculptos et incisos (r), ligno nimirum, quod Biblia nostra, et pauculi insuper alii libri typis mobilibus ligneis impressi (s), testantur. Quæ idem commemorat de plusquam 4000. florenis expositis, antequam tertium complessent in opere biblico quaternionem, non ita intelligenda sunt, ac si tantam pecuniæ vim in duodecim duntaxat Bibliorum plagulas impendissent, sed omnes etiam sumtus in tot artis tentamina ab anno circiter 1440. ad id usque temporis, quo excudi divinus Codex coepit, in tot etiam operarios et reliqua necessaria factos, quibus non solum Guttenbergii loculi fuere exhausti, sed pecunia quoque a Jo. Fausto foenori data consumta, simul comprehendi, facile quisque perspicit.

Ingenue

(r) hunc verbis illis sensum tribuit etiam KOEHLERVS l. c. p. 20.

(s) Paulus PATER in Diss. de Arte typogr. p. 10. se ejusmodi ligneos typos, ex buxi frutice, perforatos in medio, ut zona colligari una jungique commode possint, ex Fausti officina reliquos Moguntiæ conspexisse, testatus est.

(s) in Documentis de Typographiæ Origine, Part. II. p. 9.

(*) Suffragantur hic nobis, imo viam poene munivit dexterrimus harum rerum arbiter, Andreas CHEVILLIERIVS *de l'Origine de l'Imprimerie de Paris* Part. I. Cap. I. p. 8. scribens: *C'est la sainte Bible, qui est le premier ouvrage fabrique par la divine Invention de l'Imprimerie Tritheme fait assez entendre, que c'est ce saint Livre, qui fut le premier imprimé, quand il dit; que la decouverte de cet Art, qui ne fut faite que pandegnez, étant achevée dans la speculation, lorsqu'il fallut venir à l'effet, et reduire la speculation en pratique, il s'y trouva de grandes*

Ingenue quidem fateor, opus nostrum biblicum constare quinternionibus, ut uni scilicet plagulæ quatuor aliæ sint insertæ, et singuli quinterniones decem folia contineant, cum *Trithemius* quaternionum mentionem faciat. Sed eum hic memoria lapsum esse suspicor, qui id se ante triginta annos (literis autem hæc consignavit A. 1514.) audivisse scribit, i. e. circa annum 1484. triginta circiter annis ab eo tempore, quo hæc Biblia excusa fuerunt, jam præterlapsis, et in hac suspicione confirmor, quod observavi, in primis a divinæ artis inventione editionibus solemne fuisse, chartas non in quaterniones, sed quinterniones complicare, quod de Psalterio A. 1457. impresso, ac de vetustissima, quam ipse possedit, Bibliorum editione accuratissimus *Schwarzius* monuit (s), ex αὐτοψίᾳ autem egomet in Durandi Rationali divinorum Officiorum A. 1459. in folio majori Moguntiæ per Joannem Fust et Petrum Schoiffer de Gernsheim typis exscripto, cujus elegantissimum exemplar membranaceum in Bibliotheca Carthusiæ Buxiensis lustrare mihi licuit, nec non in Bibliis ibidem A. 1462. excusis deprehendi, cum sequenti tempore quaternionum crebrior fuerit usus.

Atque ita jam luculenter evicisse mihi videor, Biblia nostra, typis, quibus Missalia olim imprimi consueverunt, iisque ligneis ac mobilibus excusa omnium primum esse (*) veræ typographiæ partum, favente Lucina natum: librum autem esse ipsa raritate rariorem testatur

D experientia,

---

des difficultez. Que la depense montois déja à plus de quatre mille francs devant qu'on eût imprimé trois cahiers de la Bible. N'est-ce pas dire assez clairement par une semblable narration, que c'est la Bible qui fut choisie par la pieté des Inventeurs de l'Art, pour être le premier fruit de l'Imprimerie? Si l'on veut faire attention à ces mots: A primo inventionis suæ. Impressuri namque Bibliam; on verra qu'ils ne tendent, qu'à persuader cette verité. Et c'est Pierre Schoeffer, qui fait ce narré à Tritheme, c'est à dire, un des trois Autheurs de l'Imprimerie. C'est donc luy, qui nous dit, que la Bible fut le premier Livre imprimé. Qui peut en douter aprés ce temoignage? et Cap V. p. 74. sq. *La Bible Latine fut le premier Ouvrage d'Imprimerie, dont a parlé Tritheme et la Chronique de Cologne. Les Caractéres de cette Bible étoient de la méme grosseur, que ceux qui servent ordinairement à l'Impression des Ætesels - Quoiqu'il n'y ait plus aucun Exemplaire de cette Bible, et que l'année de son impression n'y soit point marquée, elle doit pourtant ici avoir par honneur le premier rang.*

experientia, cum hactenus plane incognitus fuerit, nec sciamus, ubinam terrarum vel unicum ejus exemplar exstet, dignissimus itaque, si quis alius, qui librorum rariorum Phoenix appellitetur. Fortassis autem ita mihi licebit esse felici, ut hac scriptiuncula unum vel alterum exemplar in angulo quodam delitescens in lucem eliciam.

Verum enim vero officii jam mei esse duco, fidem Chronographi Colonienſis, quo potissimum mea nititur demonstratio, idoneis argumentis modeste vindicare, quam suspectam reddere contendit (t) celeberrimi nominis et præclarorum in rem literariam meritorum Vir *David Clemens*, qui neminem facile hoc ævo in librorum rariorum notitia superiorem habet. Is ad fidem illius elevandam ea præcipue urget, quæ in relatione ejus supra adducta falsa esse perhibuit *Koeblerus* (u). Sed ante omnia monendum, nihilo secius ipsum *Koeblerum* in suis vindiciis ad illum plus semel (x) tanquam ad testem sincerum probatum et fide dignum provocasse, ejusque industriam in origine typographiæ, quantum pote, investiganda laudibus extulisse (y), licet in nonnullis eum erasse ratus sit: deinde *Joannem Mollerum* in Introductione seu Isagoge ad Historiam Chersonesi Cimbricæ (z) fabulatorem omnium ineptissimum non nostrum Chronographum, sed veterem scriptorem Chronici Saxonum (a) nominasse, si credendum *Prospero Marchand* (b) porro in Bibliotheca historica selecta Struvio-Buderiana (c) de ipso judicari, etiamsi fabulis haud careat, id quod de omnibus Chronicorum illius ætatis concinnatoribus jure pronunciari posse nemo dubitabit, hauriri tamen ex ejus annalibus nihilominus aliqua, quæ ad illustranda quædam juris publici

(t) in *Bibliotheque curieuse*, Tom. IV. p. 65. sqq.
(u) l. c. p. 45. sq.
(x) p. 2. 4. 7. 26.
(y) p. 45.
(z) Part. I. p. 55. et Part. II. p. 36.
(a) *Cronik der Sassen*, qui liber dialecto Saxoniæ inferioris prodiit Moguntiæ in Fol. A. 1492. ex officina Petri Schoefferi de Gernsheim.

publici Romano-Germanici argumenta faciunt. Quibus præmissis nunc illa excutienda sunt, quæ *Koehlerum* secutus Clar. *Clemens* ipsi vitio dat.

Videlicet primus, quem auctor Chronici Colonienſis commisit, error, si audias *Koehlerum*, est, quod Vlricum Zell, vel, si mavis, Zel, uti in suis editionibus se subscripsit, a quo sua accepit, pro primo typographo Colonienſi venditaverit, cum liber, ex ejus officina emissus, haud antiquior inveniatur Gerhardi Hardervicensis Commentariis in Logicam Aristotelis, A. 1494. in fol. excusis: anno autem jam 1470. Petrus von Olpe Auctoritates decretorum ibi impresserit (d). Quis vero, fodes, sibi persuadeat, Chronographum nostrum, qui annales suos potissimum in gratiam civium Colonienſium scripsit, adeo omnis oblitum fuisse pudoris, ut, si aliter res se habuerit, id tamen confidenter asserere non sit veritus? Nonne alii celebres typographi, qui interim Coloniæ artem suam exercuerunt, vel, si illi jam ad plures abiissent, eorum posteri ipsi strenue reclamassent? Nonne civium suorum, quibus res nota esse poterat, temere se exposuisset ludibrio, omnemque fidem suam decoxisset? Concedamus vero paululum, haud alium hodie exstare librum a Zelio impressum nominato vetustiorem.

Hinc tamen non sequitur, nullum ab illo fuisse ante excusum. Quis enim rei literariæ gnarus diffitebitur, multa scripta, præsertim antiquiora, prorsus intercidisse, vel in pulverulentis bibliothecarum angulis adhuc latitare, nobis ignota? Nonne plurima post *Sauberti, Labbei, Reiseri, Beughemii*, et ipsius etiam *Maittaire* industriam ex bibliothecarum abditis non pauci Viri, huic studio addicti, in lucem produxere, ante hac nobis incomperta? Annon multi exstant libri olim

 impressi;

(b) *Histoire de l'Imprimerie*, Part. I. p. 48.
(c) Tom. II. p. 996.
(d) MAITTAIRE in prima editione Tomi I. Annal. typogr. p. 94. hanc editionem ad annum 1471. refert, pag. autem 68. Coloniæ A. 1470. Conradum Winters de Homburk Historiam Longobardicam, sive Jacobi de Voragine Legendam Sanctorum auream in fol. excudisse commemorat.

impressi, sed anni, loci ac typographi nota destituti? et quot, quæso, *Maittaire*, quot *Leichius*, quot alii, ne de me ipso dicam, recensuere libros, Coloniæ quidem excusos, sed vel anno, vel typographo, vel utroque haud indicato? Verum en tibi librum Gerhardi Hardervic. Commentariis longe vetustiorem, quem prælo Zelii debemus, Roberti nempe de Licio Sermones, vel Opus quadragesimale de poenitentia, cujus sub finem hæc leguntur: *Celeberrimi sacri eloquii preconis fratris Roberti de Licio opus mirum non modo facundie rerum et rei sedolentis suavitatem confectum per Vlricum Zel de Hanaw artis impressorie magistrum Colonie impressum finem cepit optatum. Sexto decimo Kal. mensis Februarii MCCCCLXXIII.* in fol. Hujus notitiam acceptam refero diligentiæ Viri eruditissimi, *Adami Henrici Lackmanni* (e). Hoc opus prælo fuit liberatum A. 1473. medio mense Januario: cumque satis spissum impleat volumen, officinam Zelii in eo excudendo bonam anni præcedentis 1472. partem occupatam fuisse facile cernimus. Fortassis in posterum eruentur etiam libri typis Zelii ante hosce sermones exscripti, nisi ille vel ex incuria, vel intempestiva modestia nomen suum ipse suppresserit. Ex ejusdem officina, teste *Christiano Gutthold Wilschio* (f) prodiere quoque anno 1494. in quadriplici forma *Reparationes librorum totius naturalis philosophæ, tam pro Dominis Albertistis, quam etiam Thomistis.* Quis vero credat, tanto temporis intervallo, ab anni nempe 1473. initio ad annum usque 1494. officinam Zelii typographicam prorsus otiosam fuisse, quantumvis nullus liber interea in illa curatus nobis innotuerit? Quod igitur libris, a Zelio interim excusis acciderit, ut nempe nostris se subduxerint oculis, eorumque memoria sit obliterata, idem eo facilius ante impressis contingere potuit, quo sunt vetustiores. Secundo loco *Koehlerus* ceu errorem nostro exprobrat, quod Biblia Latina primum esse librum impressum

(e) vid ejus Annalium typographicorum selecta quædam Capita p. 112. sq.
(f) in Arcanis Bibliothecæ Annæbergensis. p. 314.
(g) in l. c. p. 4. 37. 38. 96. Document. de Orig. Typogr. Part. II. p. 55.

impreſſum aſſeruerit. Sed hujus aſſerti veritatem ego ſatis copioſe demonſtraſſe mihi videor. Mirari autem ſubit, *Koehlerum*, virum alias ſagaciſſimum, ſibi potuiſſe, aliisque voluiſſe (g) perſuadere, Fuſtum et Schoefferum in Bibliis Latinis, quæ Moguntiæ A. 1462. in lucem prodiere, excudendis ab anno 1450. ad a. 1462. atque adeo integris duodecim annis occupatos fuiſſe. Cur vero interim tot alios libros, eosque maximam partem ſatis grandes, luci expoſuere, in uno hoc opere adornando tam languidi cunctatores? Cur reliquos libros huic operi, omnibus anteferendo, prætulere? Indubitatum eſt, Biblia anni 1462. a capite ad calcem fuſilibus, iisque æneis typis exſcripta eſſe. At artem typorum ex matrice, quam vocitant fundendorum jam A. 1450. et proxime ſequentibus inventam eſſe, nemo facile rerum intelligens affirmabit? Certe, ſi tum jam hæc ars fuiſſet excogitata, ab uſu typorum ligneorum, utpote longe moleſtiori, in Pſalterio A. 1457. et 1459. excudendo abſtinuiſſent, quem tamen librum hujusmodi typis duplici vice impreſſum eſſe optimi harum rerum judices *Schwarzius* (g) et *Claud. de Boze* (h) cenſent. Durandi rationale anno demum 1459. publicatum primus eſt liber typis æneis indubitanter excuſus.

Tertius, quem illi objicit, error eſt, quod Guttenbergium Argentinæ oriundum dixerit. Fateor, bonum virum in hoc erraſſe. Sed non mala fide erravit, et erravit cum multis viris optimis, quibus propterea Punicæ fidei dica haud eſt ſcripta. Errori huic anſam præbuit, quod Guttenbergius A. 1441. et 1442. ac fortaſſis etiam diutius Argentinæ commoratus ſit, id quod ego primus ex duabus tabulis pactorum emtionis et venditionis, in Eccleſiæ Thomanæ Argentinenſis libro Salico aſſervatis, olim probatum dedi (i). Zelii ſane parum intererat, an Guttenbergius Moguntiæ, num vero Argentinæ natales debuerit ſuos: neutra enim civitas ejus erat patria, ſed potius Hanovium. Haud

(h) vid. *Nouv. Biblioth. German.* Tom IX. Part. II. p. 392.

(i) Amoenit. liter. T. III. p. 304 conf. P. la GVILLE *Hiſt. d'Alſace*, qui p. 334. eum annis etiam 1443. et 1444. Argentinæ commoratum fuiſſe e tabulis publicis refert.

ergo ex partium studio illius relatio profecta est; sed quicquid dixit, bona fide dixit: neque ex hoc errore subtestæ fidei in reliquis suspectus reddi merito potest. Quis enim hominum, etiam optimorum, non interdum errat? Venia minus digna est, sed sibilo potius, lepida Georgii Crügeri (k) divinatio, Guttenbergium ex urbe Bohemiæ, metallicarum principe, Cutna sive Cuttenberga, fuisse oriundum, indeque nomen suum traxisse. Idem nugator asserere veritus non est, eodem plane tempore, quo ars typographica Moguntiæ emersit, Aesopi Fabulas et Biblia S. typis Bohemicis, et quidem Cutnæ, fuisse exscripta, manifesto exemplo, quo vesaniæ patridomania viros doctos nonnunquam provehere queat. Mirum ergo non est, eum nullos habuisse, quod sciam, suffragatores. Quartus nostri error, judice *Koehlero*, est, quod Moguntia artem typographicam primo Colonizm, post Argentinam, ac deinceps Venetias delatam esse dixerit, cum tamen Jo. Mentelius jam A. 1466. Argentinæ Biblia Germanica excuderit, Coloniæ vero demum libri A. 1470. impressi habeantur. Ita Mentelii Biblia per trium fere sæculorum decursum delituere, ignorata omnibus: ac haud dubie hodienum adhuc delitescerent, nisi D. *Jo. Albertus Bengelius*, Wirtembergiæ suæ, dum viveret, decus, A. 1734. ad illa, Bibliothecam Ducalis Consistorii Wirtembergensis ornantia, in Apparatu Critico ad Nov. Testam. provocasset, eaque hoc passu e latebris veluti suis in dias luminis auras promisset. Mirum sane, cum tanto tot virorum literatissimorum fervore, postro et superiori seculo, origines artis typographicæ, et quæ ad ejus historiam spectant, investigarentur, reique librariæ pariter ac literariæ notitia ardentissimo ac felici plurimorum studio excoleretur, hæc tamen Biblia omnium Annalium typographicorum ac Bibliothecarum sacrarum Conditorum et Amplificatorum oculos notitiamque penitus fugisse. Nec interim aliud exemplar præter hoc unum in ulle, quod sciam,

(k) in S. Memoriis Reg. Boh. et eo pertinentium Moraviæ et Silesiæ, Litomisli A. 1667.

(l) Tom. III. p. 324. ubi tamen ipse Vir doctissimus nonnihil adhuc hæsitare de hac editione videtur, quæ nisi revera exstaret, prorsus concideret hoc argumentum, nostri Chronographi fidem vellicans. Antehac enim nihil cognitum erat, quod ex Mentelii officina ante A. 1473. prodiisset.

sciam, bibliotheca detectum, atque ita hæc editio summo merito pariter inter rariorum librorum Phoenices referenda est, maxime digna, cui inter alias editiones biblicas minus obvias in Clar. *Clementis* jucundissima rariorum librorum Bibliotheca insignis locus concederetur (l). Quid ergo mirum, nostrum quoque Zelium hanc editionem, nusquam gentium, si Stutgardiam excipias, obviam ignorasse, eumque illius oculos haud subiisse, cujus pauciſſima exemplaria Argentina et Alsatia exportata esse videntur. Licet enim coævus fuerit, notum est, eo tempore occasionem librorum commercia ultro citroque agitandi nondum fuisse satis commodam, nec librorum variis in locis excusorum divulgari consuesse indices ac recensiones, unde notitia eorum hodie hauriri facile potest. Ignoravit, quod mihi addere liceat, præterea bonus noster Zelius Lactantium in Monasterio Sublacensi ante Biblia Menteliana jam A. 1465. impressum, Ciceronis Epistolas familiares Romæ A. 1467. typis Conradi Sweynheim et Arnoldi Pannarz Germanorum exscriptas, et Biblia Latina, Reutlingæ per Jo. de Averbach A. 1468. excusa; ut alia taceam, quæ illi exprobrata haud fuisse miror. Quid vero, si dixero, testimonio boni viri nixus, ante omnes has editiones, vel eodem saltem tempore Zelium nostrum Coloniæ nonnulla excudisse, quæ vel plane interciderunt, vel adhuc alicubi latent, vel nomine, loco, et anno tacito, prodierunt, cum haud pauci adhuc supersint libri, omnibus primæ antiquitatis notis insignes, sed typographi, loci ac temporis indicio destituti? qui mos Zelio præsertim nostro familiaris fuisse videtur, cujus nomen pauculi admodum libri adscriptum habent, cum tamen artem suam Coloniæ tam longo temporis spatio exercuerit.

Quintus tandem error, in nostro notatus est, quod Guttenbergio primam occasionem cogitandi de imprimendorum librorum artificio Donatos Hollandiæ ligneis tabulis expressos (m) suppeditasse tradiderit. Candide

(m) Duas hujusmodi Donati lacinias Harlemi A. 1740. tertio typographiæ inventæ seculari, forte fortuna repertas, sed nullo, atque adeo nec Laur. Costeri, nomine notatas, quæ nunc cum aliis in curia Harlemensi asservantur, exhibuit Jo. Christianus SEIZ in historica enarratione de inventione nobilissimæ artis typographicæ, Harlemi A. 1742. in 8. edita. p. 113. sqq.

Candide profiteor, parum abesse, quin huic sententiæ meum quoque calculum adjiciam, hoc ipso Zelii, viri sane fide non indigni, testimonio permotus. Eum tyrocinium artis typographicæ posuisse in Guttenbergii officina, ipse *Koeblerus* (n) existimat, siquidem alias Joannis etiam Fusti et Petri Schoifferi de Gernsheim mentionem in sua relatione habiturus fuisset. Hujus ergo Viri, tanquam coævi et *subditi*, rerumque probe conscii, et Guttenbergio addicti, testimonium majorem fidem meretur, quam Jo. Arnoldi Bergellani, cujus poema encomiasticum (o) de chalcographiæ inventione, alias lectu dignissimum, anno demum 1541. atque adeo post integri seculi decursum concinnatum fuit, in quo annuli sui signatorii contemplationem Guttenbergio primam inveniendæ artis occasionem, suffragante *Koeblero*, præbuisse, sed lusu fortassis poetico, quæ *Prosperi Marchandi* (p) est sententia, vendicavit. Nihil hinc derogatur de gloria, civitati Moguntinæ debita, cum Donati illi tenuia tantum fuerint præludia rudiaque tentamina divinæ artis, a Jo. Guttenbergio Moguntino cive inventæ, cui illum etiam honorem unice adscribit noster Zelius. Non igitur desunt inter Germanos Viri præclari, inque his rebus versatissimi, qui suos Harlemensibus Donatos haud invident, at nihilo tamen minus inventæ typographiæ gloriam Joanni Guttenbergio jure tribuunt. Bona fide nunc Virici Zelii et Chronographi Colonienſis fatis, ut opinor, asserta, firmo etiam stant talo, quæ illorum testimonio fretus, de primo loco, Bibliis nostris inter libros typis exscriptos jure assignando, in medium protuli, utpote, quæ omnium sola nota illa characteristica, qua a cæteris facile discerni queunt, gaudent, quod scilicet typis grandioribus, quibus Missalia imprimi quondam solebant, excusa sint. Accedit præterea extremæ antiquitatis indicium, quod ante inventas matrices typis non æneis, sed ligneis, iisque mobilibus, impressa esse ipse conspectus quemvis convincere possit. Nec ullum penes me est dubium, ipsum doctissimum *Clementem* in meam sententiam

(n) p. 45. (o) Recudendum illud præter alias curavit Prosper MARCHAND Part. II. *de l'Histoire de l'Imprimerie*. p. 18. sqq.

tiam iturum esse, si ea oculis suis lustrare aliquando illi liceret. Jam definiendum nobis foret, quo illa anno, quo loco, et cujus artificis studio sint excusa, cum typographi, loci et temporis nota careant. De loco quidem et opifice non multum mihi hæsitandum esse censeo, cum jam solide, præsertim a *Koehlero*, demonstratum esse arbitrer, in civitate Moguntina per Joannem Guttenbergium auream artem esse inventam. Cumque Biblia nostra primum typographiæ recens inventæ partum fuisse hactenus evicerim, de loco ac opifice non amplius dubitandum erit. Videlicet ille fuit civitas Moguntina, hic Joannes Guttenbergius, consilio tamen et impensis Joannis Fausti, pariter civis Moguntini, in operis progressu adjutus, qui forte etiam coronidem illi imposuit. Ipsum vero editionis annum speciatim determinare non ausim Nec tamen video, cur rejiciendum sit testimonium Viri honesti, Vlrici Zelii, quem in ipsa Guttenbergii officina artem excusoriam didicisse Koehlerus existimat, qui igitur rem omnem probe exploratam habere potuit, cuique nullæ fuere mentiendi causæ. Circa annum itaque MCCCCL. post tot rudia ac irrita tentamina excogitati fuisse a Guttenbergio, Viro solertissimo et optimo, typi lignei singularii videntur: atramentum etiam oleo tinctum, glutinosum ac tenax inventum, atque ita utraque pagina imprimi coeptum. Hac inventione abruptum esse suspicor opus illud, *Catholicon*, tabulis ligno incisis excudi inchoatum, nimium temporis et enormes sumtus postulaturum, nec jam, typis mobilibus repertis, emtoribus satis placiturum. Laudabili igitur consilio Codex sacer ad divinæ artis primitias, quibus veluti initiaretur, fuit destinatus. Sed lento gradu per aliquot annorum seriem procedebat institutum, cum operarii nondum satis essent exercitati, et nunc hoc, nunc illud deficeret. Multum etiam temporis postulabat necessaria semper novorum typorum, veteribus detritis, sculptura, vel si quæ paginæ unius generis plures, quam in promtu erant, exposcerent. Suspicor, sæpe integras quoque plagulas esse abjectas,, si quæ voto non responderent, vel mendis deformatæ essent. Guttenbergius enim fuit vir prosapia nobili editus, liberali animo, et in

(p) l. c. Part. I. p. 6.

omni re concinnus. Teſtatur id noſtra Bibliorum editio, ſub ipſa artis vix natæ initia non ruditatem, ſed maturitatem jam quandam et elegantem concinnitatem ſpirans, chartæ candore ac denſitate, membranam æmulante, atramenti nigritia ac nitore, oculos poſt trium ſæculorum decurſum ſuaviter adhuc afficiente, exacta linearum æqualitate, et juſtis earum interſtitiis, pari typorum magnitudine, et marginibus largis jucunde ſpectabilis: ſatis etiam emendata, nec ita vitiis typographicis turgens, ut noſtra aetate haud paucæ ſolent. Obſervavi paſſim menda a manu coæva calamo, typos imitante, fuiſſe, haud dubie typographi juſſu, correcta. Hoc etiam exemplo confirmatur egregia Clar. *Clementis* obſervatio (q), inconcinnam ruditatem non eſſe characterem primarum editionum, Moguntiæ curatarum, ſed contrarii potius indicium. Nullis enim ſumtibus, nulli ſtudio parcebant Guttenbergius, et ad ejus exemplum Fauſtus ac Schoefferus, in editionibus ſuis rite et concinne adornandis. Cæterum A. 1455. lite, quam ſupra attigi, inter Guttenbergium et Fauſtum exorta, ac d. 6. Nov. deciſa, cum hic ab illo vel ingentem pro illa ætate pecuniæ vim foenori datam, vel, ſi ſolvendo non eſſet, apparatum ejus typographicum oppignoratum coram judice poſtularet, nondum conſummata fuiſſe videtur noſtra Bibliorum editio: alias enim bono Guttenbergio, meliori forte digniſſimo, ad hoc æs alienum, magna ſaltim ex parte, diſſolvendum inſerviiſſet. Potius in inſtrumento publico ſententiæ judiciariæ operis cujusdam nondum perfecti mentio fit. Videtur ergo tum, quicquid jam in hac editione adornanda perfecerat infelix Guttenbergius, iniqua ſatis ſententia, quod plenius docet *Koeblerus*, cum reliquo apparatu Fauſto adjudicatum eſſe, quem antea ſæpe in officina Guttembergii, ob ſocietatem cum illo initam verſatum, et artem ejus aſſecutum, cum ſocio Petro Schoiffero de Gernsheim opus tandem ad finem perduxiſſe ſuſpicor. Quod quo anno factum ſit, cum documenta nos deſtituant, indubitanter affirmare non auſim. Factum tamen eſſe, teſtimonio Vlr. Zelii et *Jo. Trithemii* nixus, qui Biblia primum

librum

(q) *Biblioth Curieuſe.* Tom IV. p. 75.
(r) In Decade Fabularum, Argentorati A. 1609. in 4. edita, p. 181. ſq.

librum typis exſcriptum dixere, conjicio, anno circiter 1456. antequam anno ſequenti Pſalterium prodiret, pariter typis ligneis excuſum, cujus ſub calcem jam nomina ſua Fauſtus et Schoifferus adjecerunt. In Bibliis vero noſtris nullum typographi nomen comparet, quia haud dubie Fauſtum puduit, opus, maximam partem a Guttenbergio concinnatum, ac titulo non admodum juſto acquiſitum, vivo illo adhuc atque ſpirante ſibi tribuere. A. denique 1459. primum opus, idque non exiguum, Durandi nempe Rationale divinorum officiorum, typis æneis, ex matrice fuſis, quam artem incomparabilem interim magno rei literariæ bono pro ea, qua polluit, ſagacitate excogitaverat Petrus Schoiffer de Gernsheim, eleganter excuſum eſt. Quo eximio invento ſublatus fuit typorum ligneorum uſus, haud ita commodus.

Si vera ſint, quæ poſt *Joannem Walchium* (r) *Gabriel Naudæus* (s) aliique magno numero tradiderunt, Joannem nempe Fauſtum nonnulla Bibliorum recens impreſſorum exemplaria, Lutetiam Pariſiorum delata, pro Manuſcriptis venditaſſe, ac primum grandi, poſthac æquiori pretio licitatoribus conceſſiſſe, tandemque, lite ipſi mota, ſe fuga ſubduxiſſe; ea magis in noſtram editionem, anni, loci et typographi indicio deſtitutam, quam in illam, quæ Moguntiæ A. 1462. his notis inſignita prodiit, conveniunt. Quis enim, fodes, concipere animo poſſet, eruditos Pariſienſes tam omnium rerum fuiſſe ignaros tamque incautos, ut, cum inventum illud divinum, variis jam libris, iisque ſatis grandibus, publice proſtantibus, non amplius in occulto obliteſceret, ita ſe turpiter ab homine Germano circumveniri fuiſſent paſſuri?

Sed jam ad finem properat calamus. Vnum addo, quod ſupra monendum fuiſſet, cum primum errorem, Chronographo Colonienſi a *Koehlero*, imputatum, perperam nempe eum Vlricum Zelium pro primo civitatis Colonienſis typographo venditaſſe, diluerem. Prima illius Chronici, vernaculo ſermone ſcripti, editio prodiit Coloniæ ex officina Joannis Koelhof de Lubek (*) A. 1489. ultima A. 1499. Ille autem

(s) *Addition à l'Hiſtoire du Roy Louis XI.* recuſa cum aliis Bruxellis A. 1713. in 8. h. t. *Supplement aux Memoires de M. Philippe de Comines.* p. 130.

tem Koelhof fuit inter primos, qui typographicam artem Coloniæ exercuerunt. Jam enim A. 1470. ibi excudit Bartholomæi Anglici Opus de proprietatibus rerum (**). Is autem profecto paſſus haud fuiſſet, in libro ſuis ſumtibus typisque in lucem dato illum honorem Zelio noſtro adſcribi ſibique aliisve eripi, niſi res fuiſſet teſtatiſſima, et Coloniæ extra omne dubium poſita.

Hæc ſufficiant, quæ TVO VNIVS, DOMINE, arbitrio ſtabunt cadentve omnia. Vale, CARDINALIS EMINENTISSIME, ac omni rerum optandarum genere cumulatus in literarum præſidium et incrementa vive diutiſſime, has pagellas ſummi mei in TE ſtudii et venerationis teſtes ſereno vultu accipe, TVAMque mihi gratiam, quod unice precor, perpetuo conſerva. Scribebam Memmingæ, A. R. S. MDCCLIX. Pridie Iduum Decembr.

(*) vid. Proſp. MARCHAND *Hiſtoire de l'Imprimerie*, Part. II. p. 4.
(**) teſte MAITTAIRE in Annal. typogr. Tom. I. Edit. II. p. 296.

VLMAE
EX OFFICINA WAGNERI,
CANCELLARIAE VLMENSIS TYPOGRAPHI ET SOCIET.
DVC. HELMST. TEVT. ADSCRIPTI.